

f) A poenitentis Superioribus ac parentibus eum de aliqua re admonendi munus difficulter confessarius suscipiat, quo tantum suspensiones plurimas devitabit. Eorum vero omnium inopinatas ac captiosas quaestiones sedulo Pastor devitet, et in proprium sinceritatis veritatisque amorem non minus invigilet.

g) In genuinae tantum necessitatis vel compertae utilitatis casibus denuntiationes extra confessiones aliis faciendas Pastor suscipiat. Quum vero necessitas cogat, scripto accipiantur, addita semper clausula [eaque, melius, scripta] qua loquendi licentiam, impertiatur poenitens. Si haec tantum ratio adhibeatur, innumera diceria, tum sacramento, tum Pastori, tum universo confessorum coetui perniciosissima, devitantur.

h) Non tantum de rebus in confessionis actu, sed etiam de his omnibus que in confessionali sede audiuntur, strictum servetur secretum. Quapropter quantum hoc servaret praeceptum qui in actu confessionis, quaedam [praesertim difficiliora] a poenitente audiendo, ipsum interrumpat: *De hoc mihi dices post confessionem*, prudentes viri dicant!

i) Tum in actu confessionis, tum in confessionali, de alio poenitenti cum praesenti quoquomodo ne loquatur confessarius.

l) Ne in ipsa confessione altiori utatur voce, vel gestibus alisve signis ex quibus res altioris momenti cum poenitente agi, quam quae communius obvenire solent, adstantes eruere possint, confessarius sedulo caveat.

m) Adstantes ad aliquam distantiam a confessionali arceantur, ne quid facile percipere possint.

o) Confessionis schedula¹ nil aliud exhibeat quam testimonium poenitentis auditionis, non autem de data absolutione, de qua nihil umquam in ea addendum est. In re:

I. — Si schedula, typis impressa, absolutionis testimonium [omnino imprudenter] exhiberet, propter sigillum, uti est, tradi deberet, ac ideo simpliciter danda, vel etiam signanda, quin aliquid deleatur, etsi absolutio revera denegata fuerit. Nam iste actus tradendi vel signandi eiusmodi schedulam mendacium esse minime videtur².

II. Si poenitenti indisposito, qui sacramentalem peregerit confessionem absolutio denegata fuerit:

1. si extra confessionem schedulam petit, danda est; nam si secus, cum poenitentis gravamine, confessionis uteretur notitia;

¹ Cfr. docum. VIII ad vol. calc.

² Cfr. Noldin, *Op. cit.*, n. 432.

2. si in confessione petit, et negatio indirectae violationi sigilli aequivalet [quod habetur, quando alii, ex ipsa schedulae negatione, in negatae absolutionis cognitionem veniunt] danda omnino est;

3. si in ipsa confessione petit, et negatio indirectae lesioni sigilli non aequivalet, tunc salva prudentia, schedula negari potest;

III. si poenitens confessionem sacramentalem non peregerit, sed solum simulat, vel si schedulam petit ut magistro, parcho [e. g. ante matrimonium] eam exhibere possit, haud omnino concors DD. sententia est. Benigniore, igitur, sequi partem omnino licet.

p) Attamen, confessarium post auditam confessiones adeo se gerere debere ac si nullam audisset, neutiquam verum est. Pro poenitentium, enim, orare salute, de dubiis sibi propositis consulere libros, scientiam ex confessione haustam pro concionibus dicendis [dummodo regulae superius adlatae adamussim serventur] prudentissime accommodare licitum ei est.

330. — Ex his quae de sacramentali confessione diximus, ne alios sacro abluendo lavacro, maculam ipse contrahat, neve poenitentes absolvendo, eorum peccatorum reus efficiatur, quam merito confessarius timere debeat omnino liquet. Neque, tamen, sacri huius iudicii munus anxie exercendum, neque refugiendum est; sed ad Divinam Gloriam augendam et salutem animarum promovendam cum magno prudentique zelo suscipiendum et cum sancti timoris ac spei fiducialis in Dei bonitate obfirmatione gerendum. — Confessione vero excepta, labores suos Pastor Deo offerat, pro S. Spiritus adstantia gratias agat, propter admissos defectus veniam petat, ac praesertim, pro periclitantium peccatorum salute, ut suis in propositis et in Eius gratia adeo Deus confirmet, ut in vitae novitate ambulantes, Ei serviant et ad aeterna gaudia perveniant, enixe oret.

Artic. IV.

DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

§ I. — De SS.ma Eucharistia uti *sacrificio*.

SUMMAE RERUM. — 331. Animadversiones praeviae — 332. Canonica ac nuperrima ex plana C. *Divino afflatu* liturgica praecepta — 333. Quaedam pastorales industriae recoluntur — 334. De Legatis fideliter adimplendis.

331. — Augustissimo hoc Novae Legis Sacramento, in quo omnes Sui erga nos amoris divitias Salvator Optimus effudit, nihil in religione sanctius, nil sublimius. Quoniam, non gratiarum tantum fontem hic nobis

aperuit, verum etiam in Augustissimo Sui Corporis Sanguisque Mysterio nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluit, quo Ipse in coelum ad dexteram Patris rediens, nos et Sui Numinis praesentia et tutissimo spiritus vitae praesidio, communiret. Haec est oblatio munda, quae a solis ortu usque ac occasum in omni loco nomini Domini offertur; neque satisfactionis in Cruce peractae nuda commemoratio est, sed verum ac tremendum sacrificium, quo Deus placatur et nobis propitius redditur; ita ut quoties huius Hostiae commemoratio celebretur, toties salutis nostrae opus exerceatur. — Eucharistiae Sacramentum, ad spiritualem fidelium refectionem institutum, rationem habet sacrificii dum conficitur, sacramenti dum, semel confectum, servatur, et alimenti quum sumitur.

332. — Quoad Eucharistiam uti sacrificium, ex canonum ac liturgiae praescriptis, sequentia prae oculis habeantur.

a) Quoad missam in se ipsam:

I) Inter Sacrificii ministros, primum Christus, alterum Ecclesia Catholica, tertium et proprium sacerdos rite assumptus ac ordinatus, locum obtinent.

II) Uti sacerdotes omnes, ita Parochus in missae celebratione sacrae liturgiae praeccepta et rubricas omnes adimplere¹, et cunctas de iustitia coelevationis circumstantias et conditiones sibi a fidelibus impertitas, stricte servare tenetur.

III) Parochi officium est ut, omni cum veneratione et reverentia, Sacrificium ab omnibus celebretur. ² Hinc num locus in quo sacrificaturus est [nimirum, ecclesia, capella, publica, aut semipublica³] sit conveniens, et altaria necessaria suppellectili [alibi indigitata] praedita sint, bene perspiciat. — In navi celebrare absque apostolico indulto illicitum⁴.

III) Ut tum maiores [nisi urgente necessitate, in sacrificio semper adhibendae], tum minores hostiae seu particulae, non ex farro, sive spelta vel siligine⁵, sed ex triticea farina [absque fermenti aut alterius rei cuiuscunque admixtione] et aqua naturali sint, Pastor sedulo advigilabit⁶. Ad rem ut ab honesta ac fideli persona pistae sint curabit, ac ut integrae, recentes, nec fractae nec maculatae, loco congruo ac sicco asserventur, advigilabit Pastor. — Vinum de vite, ex maturis uvis expressum et defoecatum, nec acetosum aut quomodolibet adulteratum, vel corruptum sit⁸.

IV) Alia est missa cantata, alia lecta, alia publica [conventualis, capitularis, paroecialis] ad quam, ex publica ratione, frequentia assistentium convenit; alia privata quam ut propriae devotioni satisficiat, sacerdos celebrat.

¹ S. Pius V. *De Prudentia*, 20 august. 1566.

² Trid. XIV *De Observ. in celebr. miss.*

³ S. R., C. 8 mart. 1879, 23 jan. 1899.

⁴ S. C. R. 4 mart. 1901 de abusibus inibi tollendis. — Cfr. S. C. P. F. 1 mart. 1902. — Cfr. document. IX ad. calc. vol.

⁵ Concil. Flor. decret. *pro Armenis* [Denzinger, *Enchirid.*, 359].

⁶ Cfr. S. Offic. 27 jan. 1897.

⁷ Benedict. XIV, ad *Italos-Grecos*, 26 maj. 1742, § 6, n. 14 [Bullarium eiusd. I, 197].

⁸ Cfr. S. Offic. 5 aug. 1896, 22 mai 1901.

b) Quoad Parochi obligationem celebrandi pro populo:

I) Praeter requisitam generatim pro fidelibus missae celebrationem, diebus dominicis et omnibus festis de praeccepto per annum,¹ [excluso casu urgentis necessitatis, et causis canonicis] per se ipsum² Sancti Sacrificii fructum speciatim personaliter ac realiter applicare pro populo Parochus tenetur³, quin stipendium accipiat, nisi peculiari vel generali apostolico gaudeat indulto, in proprium, vel in alicuius pii operis adiumentum datum.⁴ Haec obligatio et in festis nuperrime suppressis⁵ omnino urget, si excipias illud S. Ioan. Baptist. [24 jun.] Si vero SS. Patronorum festum in dominica transferatur, missa pro populo in die proprio celebranda erit, non vero in dominica in qua huius obligationis cumulatio haud haberi potest⁶.

II) Si binas Parochus sortiatur paroecias, duplicem⁷ debet applicare missam [unam per se, per substitutum aliam], non autem si in eadem paroecia bis eadem die celebretur. Si duplex eadem die concurrat obligatio⁸ aut si dies festus incidat vel totaliter in dominicam transferatur⁹, unica sufficit missa pro populo.

III) In dominicis aliisque festis diebus [saltem in non abrogatis], in quibus iuxta rubricas, missam exsequialem celebrare licet, non pro defuncto etiam praesente corpore, sed pro populo missam applicare Parochus tenetur. Quam, igitur, nisi debitam a S. Pontifici et Episcopo licentiam obtinuerit, coelevationem missae pro populo transferendi, nec in aliam transferre diem, nec alteri cui libet sacerdoti in casu praedicto committere Parochus potest¹⁰.

c) Quoad liturgiam:

D) Novissimo ex jure¹¹:

a) In Dominicis etiam minoribus, quodcumque Festum occurrat, dummodo non sit Festum Domini, vel eius dies Octava, aut Duplex I vel II classis, Missa semper dicenda erit de Dominica cum commemoratione festi. Quod si Festum commemorandum sit Duplex, tunc omittenda est III Oratio.

β) In Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, si occurrat fieri Officium alicuius Festi Duplicis [non tamen I vel II classis] aut Semiduplicis, Missae privatae dici poterunt ad libitum, vel de Festo cum commemoratione ultimoque Evangelio Ferae aut Vigiliae, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi: prohibentur tamen Missae votivae privatae, aut privatae pro Defunctis: quae item prohibentur in Feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae. In Quadragesima vero Missae privatae Defunctorum celebrari tantum poterunt prima die cuiuscunque hebdomadae libera in Calendario Ecclesiae, in qua Missa celebratur. Cfr. ad rem tabellam ad vol. calc. positam¹².

¹ Benedict. XIV, *Cum semper oblatos*, 14 august. 1744; S. C. C. 14 dec. 1872.

² S. C. C. in *Mechlinien*, 25 sept. 1847.

³ S. C. C. 25 sept. 1858.

⁴ SS. D. N. Pius PP. X, *Motu proprio*.

⁵ *Supremi* cit.

⁶ Cfr. *Monitore Ecclesiastic.* a. 1911, n. 6.

⁷ S. C. C. 4 febr. 1883.

⁸ S. C. C. 24 april. 1875. Cfr. S. C. C. in *Pampiloneu*, 18 nov. 1702.

⁹ Pius IX, *Amantissimi*, 2 jul. 1911, 3 maj. 1858.

¹⁰ S. C. C. 26 jan. 1771: S. R. C. 26 jan. 1793.

¹¹ SS. D. N. Pius PP. X, *Constit. Divino afflatu*, Kal. nov. 1911 in rubric. decret. titil. X. — Cfr. S. R. C. 30 dec. 1911.

¹² Document. IV.

γ) Si alicubi aliquod Festum impeditum a Dominica minore celebratur ex voto, vel cum populi concursu [cuius rei iudex erit Ordinarius], Missae de eodem festo impedito celebrari poterunt, dummodo una Missa de Dominica ne omittatur. Quoties extra ordinem Officii, cantetur vel legatur aliqua Missa, si facienda sit commemoratio aut Dominicae, aut Feriae, aut Vigiliae, semper de hisce etiam Evangelium in fine legatur.

δ) Ad Missam Dominicam etiam minoris, cum commemoratione Festi Duplicis tum maioris, tum minoris ac diei infra Octavam quomodolibet celebrandam, retinetur color proprius Dominicae, cum Praefatione SS. mae Trinitatis, nisi adsit propria Temporis, vel Octavae alicuius Festi Dominici ¹.

II) In omnibus et singulis sacrarum Virginum monasteriis clausurae legi subiectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis, publicum aut privatum Oratorium habentibus cum facultate Sacras Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. C. tres rituales Missae vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari Sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari potest. Devotam vero huius vel harum Missarum auditionem omnibus adstantibus ad praecepti satisfactionem valet ².

III) Quandonam Missae Votivae prohibeantur, cfr tabellam ad voluminis calcem ³.

IV) Quoad missas conventuales:

In Ecclesiis, in quibus adest obligatio chori, una tantum Missa cum assistentia choralium semper celebretur; et quidem de Officio diei, nisi aliter rubricae disponant; aliae Missae, quae hucusque cum praedicta assistentia celebrabantur, in posterum extra chorum legantur, post propriam Horam Canonicam; excipiuntur tamen ab hac regula Missae in Litanis maioribus et minoribus, et Missae in Festo Nativitatis Domini. Excipiuntur pariter Missae in anniversariis Creationis et Coronationis Summi Pontificis, Electionis et Consacrationis seu Translationis Episcopi, necnon in anniversario ultimi Episcopi defuncti, et omnium Episcoporum aut Canonicorum; omnesque Missae ex fundatione ⁴.

IV) In ecclesiis paroecialibus ubi unus est tantum sacerdos in festis suppressis in quibus missa celebranda et applicanda pro populo est, enunciata missa necessario est celebranda de die currente. Eadem non potest esse cum cantu *de Requie* in die et pro die obitus seu depositionis physice vel moraliter praesente cadavere ⁵.

VI) Quoad collectas ab Ordinariis locorum imperatas attinet, deinceps prohibentur [nisi sint pro re gravi praescriptae] non tantum in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes et in Duplicibus I classis, sed etiam in Duplicibus II classis, in Dominicis Maioribus infra Octavas privilegiatas, et quodcumque in Missa dicendae sint plus quam tres Orationes a rubrica eo die praescriptae ⁶.

d) Quoad missarum stipendium ac onera:

I) Pro missae celebratione iustum stipendium ⁷ quod leges ac consuetudines statutas non excedat, accipere Parochus potest.

¹ SS. D. N. Pius PP. X, C. *Divino af-
flatu*, Kal. nov. 1911, in rubric. tit. X.

² S. C. 1 august. 1910.

³ Cfr. Document. XI, XII ad vol. calc.

⁴ SS. D. N. Pius PP. X, *loc. cit.*, tib. XII.

⁵ L. XI. — Cfr. Docum. IV ad vol. calc.

⁶ Id. *Ibid.*

⁷ Benedict. XIV, *De Sacrificio Missae*
III, C. 21 ecc.

II) Unam missam pro pluribus celebrare stipendiis ¹, ac pro futuro stipendio indeterminato, missae fructum applicare ² minime licet. Onera perpetua, quin Ordinarii venia accedat, assumere ³ vel mutare, aut missas manuales accipere ultra eas quibus videbitur intra statutum tempus probabiliter satisfacere posse, alias missas extra dioecesim mittere sacerdoti non personaliter noto et omni exceptione maiori, et Ordinarii loci inaudito vel negante, stipendiis aliquid detrahere, sub poena excommunicationis latae sententiae R. Pontifici reservatae, numquam ac quoquomodo fas est ⁴.

III) Missarum onera a benefactoribus aut testatoribus instituta iuxta eorum veram vel prudenter praesumptam voluntatem, in quantum licet, adimpleantur. Episcopae in re ne de facile admittantur, reductiones [S. Sedi et Episcopo reservatae] difficulter [etiam piis pro causis] postulentur, et in dubiis Ordinarii sententia exquiratur, ne in tam gravi negotio quomodocumque contra iustitiam peccetur.

e) Quoad binationem:

I) Binare [die Nativitatis Domini excepto] sine speciali privilegio aut licentia minime licet ⁵, et de eius necessitate, [quae habetur cum magna pars populi praecepto audiendi missam diebus dominicis et festis haud satisfacere potest] Ordinarius tantum sententiam ferre potest. Ad rem:

1) Qui bis celebrat pro secunda missa debet esse ieiunus; quae lex urget etiam si ob eius observationem, populus, die festo, secunda missa privandus sit.

2) Qui bis celebrat, pro secunda missa stipendium accipere nequit, nisi in tribus missis in die Nativitatis Domini.

3) Regulariter duplex celebratio missae ab eodem sacerdote in eadem ecclesia aut saltem super eodem altare, vetatur. Rationem in re S. R. C. indicat ⁶.

f) Quoad tempus:

I) Privilegio excepto Nativitatis Domini ⁷, noctu sacrum facere non licet: privata missa vero in anni cursu ab aurora usque ad meridiem celebrari potest ⁸.

333. — Sed in his quae, ex canonum theologiae morum ac liturgiae necessario studio facillime quis percipiet, diutius immorari nostri non est, et ut ad pastorem rem pressius spectatam descendamus oportet, quae sequentibus praeceptis continetur:

a) Ante missam, igitur, ad Sacrum faciendum accedens Pastor, huius Sacrificii momentum attente considerando, ne absque divino auxilio ad tantum perficiendum opus inconsiderate appropinquet, opportunum sese praeparet.

¹ Alex. VII, 24 dec. 1665. — Cfr. S. C. in *Bredanens.* 7 aug. 1909; in *Senogaliens.* 7 oct. 1899; in *Friburgen.* 14 april. 1894.

² S. Alphons. VI, 337 et Commentat.

³ Trid. XXII, 8; XXV, 5.

⁴ S. C. C. *Vigilanti studio*, 24 maj 1893; *Ut debita*, 11 maj, 1904; 21 nov. 1898; 28 aug. 1897.

⁵ Cfr. Benedict. XIV. C. *Declarasti nobis*, 16 mart. 1746; Id. *Apostolic.*

Ministerii 30 maj 1758; S. Offic. 20 jun. 1880; Id. 22 febr. 1888; S. C. C. in *Argentinens.* 17 sept. 1859, 22 febr. 1897, 27 aug. 1897, 10 maj 1897, 29 mart. 1890, 4 maj 1899, 28 febr. 1891.

⁶ Instruc. 11 mart. 1858; Cfr. Ead. in *Roman.* 9 maj 1893 S. C. P. F. 24 maj 1870.

⁷ Cfr. documentum XIII, ad vol. calc.

⁸ Cfr. documentum XIV, *ibid.*

b) In missa celebranda, ne pia mater Ecclesia, pretiosissimum a Divino suo Sponso concreditum depositum, indevote, irreverenter ac indecore agi videns, imo ex corde suspiria trahat, ad immaculati Agni mensam Pastores accedentes, Christi ministros se esse, et generis humani mediatores, memores sunt. Adeo cum timore et tremore, cum contritione cordis ac tum corporis, tum mentis illibata puritate, divinum istud et caeleste Sacrificium celebrent, ut beatissimam Domini praesentiam, et Sanctorum Angelorum excubias [qui in circuitu ipsorum, tantum mysterium collaudant et adorant] sentire mereantur. Ille, igitur, qui, festinationi studendo, infra quadrantem missam absolveret, a peccato mortali excusari non potest: quin dicam de rubricarum neglectu [quae omnes, intra missam occurrentes, praeceptivae sunt], cuius ratione, si quis, quamvis non de gravissimis ageretur, notabili in materia deliquerit lethalem culpam haud devitaret.

c) Post missam de tanto sacrificio ac beneficio, congruenti ratione ac tempore, effusas gratias agat, quo neque Deo irreverentiae, sibi detrimento, fidelibus scandalo erit.

d) Ut materia in Dominum Dominantium Corpus et Sanguinem convertenda sit purissima, religiosissima caveatur cura. Ex tritici farina et naturali aqua confectae, macularum expertes ac recentes hostiae sint. Vinum, si fieri potest, seligatur album; numquam non purum sit et bonum; intolerabile esset si, vinum quod convivis apponere pueret, ad tantum peragendum Mysterium adhiberetur. A viris, igitur, tantum, omni suspicione maioribus, haec omnia sibi Pastor comparet, ac ut vinum a fidei oenopola per securum baiulum afferatur ac, ut satis frigido in loco custodiatur, et in pluribus mundis parvisque lagenis bene clausis atque pro illius conservatione magis idoneis asservetur, Parochus curabit. Quoad vere industrias quae in vini conservatione adhiberi vel minime possunt:

I. — licet vini ebullitionem usque ad 65 caloris grad. procurare, ac vini spiritum ei admiscere, dummodo ex vite genuina sit, neque 12 pro 100 partes exsuperet, si tamen in recenter manufactum hoc agatur¹.

II. — Vini, iam 12 pro 100 spiritus continente, alias decem partes eiusdem adiungere, minime licet². — Ad vini a credinem corrigendam quodam chimico processu [tartrato kali] uti non expedit³:

e) Ut quamprimum intra statutum a legislatore tempus [nimirum, tum pro vivis, tum pro defunctis unum mensem pro una] missae

¹ S. Offic., 8 mai. 1887.

² Id. 9 jul. 1890.

³ Id. 9 maj. 1892. — Cfr. Eiusdem, *Epist. circular.*, 9 jun. 1881, 30 aug. 1901.

celebrentur, Parochus curabit. Si vero alias iam habeat, de probabili dilatione fideles admonere praestabit, qui si renuant, missam refutare praestat. Semper vero ut saltem aliquod maioris temporis spatium ad has solvendas obligationes quam illud quod utiliter praevideri potest insumatur, prudentia ac conscientiae tranquillitas iubent. — Generatim qui tot tantasque missas celebrandas suscipiunt quae in annum a se vel a coadiutoribus suis haud celebrari possunt, haud laudandi. At nimis consuetum abusum illud quo quidam missas jubent quin deinde eleemosynam solvant coercendum sedulo, ac ut ante solvant curandum, ne extenuata iam beneficia ecclesiastica, eo magis depauperentur. Coeterum quae Leonis f. r. XIII et Pii PP. X in re ordinationes habentur, ac per S. C. C. decretum *Ut debita*¹ collectae sunt mox indigitatae², sedulo serventur.

334. — Ex his quanta cum assiduitate ac diligentia missarum legata a fidelibus condita, a Pastore curanda sint in comperto est, qui si legantium voluntatem quomodo posthaberet, non minus quam in manualium missarum transgressione peccaret. *Quum* [in Veneta Synodo a SS. D. N. Pio PP. X, dum Patriarchatus illius sapienter gereret curam, habita legimus] *testatorum voluntas sit sacra, qui eandem fideliter ac religiose quoad substantiam et quoad accidentia, non adimplent, vel quoquomodo mutare praesumunt, illos Dei indignationem, et Ecclesiae districtissimas poenas iam latas incurrere, nemo non videt*³. At de hoc alibi dicemus.

f) De missarum regestis ad haec aliaque precavenda incommoda pernecessariis, opportunius, alibi agemus⁴.

§ II. — De S.ma Eucharistia uti sacramento.

SUMMAE RERUM. — 335. Animadversiones praeviae — 336. Quoad SS.mi Sacramenti asservationem quae canones, liturgia sacra ac cura pastoralis praecipiant — 337. De SS.mae. Eucharistiae Expositionibus et in re liturgica praecpta — 338. De XL hor. SS.mi Sacramenti Expositione, ac in festo Corporis Christi eius Processione. — 339. De eucharistica tridua supplicatione a SS. D. N. Pio PP. X praescripta. — 340. Conclusio.

335. — Si, uti diximus, SS.ma Eucharistia dum conficitur *sacrificii* rationem habet, dum confecta servatur rationem *sacramenti* sortitur, quod quidem Agustissimum iure celebratur. In enim Christus, qui

¹ S. C. C. 11 maj 1904.

² Cfr. pag. 383 ad II.

³ Pars. VI.

⁴ Cfr. paradygm XV ad vol. calc.

pro nostra salute in terris apparuit¹ et cum hominibus conversatus est², sponsae suae dilectissimae Ecclesiae solemnem promissionem se cum eadem futurum dixit usque ad consummationem saeculi³, ut etiam in nova Lege vetus illud adimpleretur divinae Sapientiae effatum: et delicia meae esse cum filiis hominum⁴. Ut, igitur, tam singulari dilectioni Sponsa sollicita cura responderet, plura sancivit promulgavitque praecepta, quibus debitus honor ac cultus divino Hospiti servatur ac promoveretur. Quae, ut, quanto ex amore studioque profecta sunt, tanta etiam sedulitate excolantur Pastori recolere vix necessarium. De his autem quantum argumenti ratio sinit, per partes dicendum.

336. — Quoad SS.mi Sacramenti conservationem nulla in re diligentia uti superflua haberi potest. Divini, enim, Hospitis summa Maiestas ac omnimoda quae Ipsi, praesertim a sacerdotibus, reverentia debetur, ut in re perquam diligentissime se habeat Pastor, omnino suadent. Ad rem:

a) Sanctissimum Sacramentum in qualibet ecclesia parochiali, quantumvis paupere, asservandum est⁵.

b) SS.ma Eucharistia uno tantum in loco cuiuscumque Ecclesiae, in qua custodiri debet, potest, vel solet⁶, non vero, ne transitorie quidem, in pluribus simul altaribus, nec alicuius ratione festivitatis, servanda⁷.

c) Locus, vero, in quo SS. Eucharistia asservanda est, tabernaculum immobile, per solam Sm. Eucharistiam benedictum, honorifico et conspicuo loco positum, nimirum, in Ecclesiis parochialibus et regularibus in altari maiore, vel saltem huic proximiore, iuxta praxim. In cathedralibus vero, ne dum functiones pontificales aguntur, Ipsi terga vertantur⁸, SS.mum in summa ponere arce haud convenit. — In custodia, etsi pulcherrima, more antiquo, parieti affixa, SS.mum servare Sacramentum hodie minime licitum⁹.

d) Tabernaculum autem exterius conopaeo ornatum¹⁰, interius vero deauratum, vel panno serico, aut damascena tela albi coloris vestitum¹¹, aut saltem depictum sit. — Nitidum inibi corporale stratum habeatur, super quo sola vasa benedicta non vacua, sed SS.mum Sacra-

¹ Cfr. *ad Tit.* III, 4.

² *Baruch.* III, 38.

³ *Math.* XXVIII, 20.

⁴ *Prov.* VIII, 31.

⁵ S. C. Episc., 28 jan. 1603, Benedict. XIV, Constitu. *Quamvis justo*, 30 april. 1749; S. R. C. 8 mart. 1879.

⁶ S. R. C., jul. 1669. — Pro oratoriis privatis, cfr. doc. XVI ad vol. calc.

⁷ Id., 14 mart. 1861.

⁸ Caerimon. Episcop., lib. I, cap. 12, n. 8.

⁹ S. C. C., 14 nov. 1693.

¹⁰ Caerimon. Episcop., *loc. cit.*, n. 16.

¹¹ S. C. EE. et RR., 26 oct. 1575.

mentum continentia, ex materia solide confecta, deponantur. Haec inter hyerotheca minor seu pyxis, cum cuppa in forma orbiculari argentea, saltem interius deaurata, operculis suis firmiter clausa et pretioso pallio albi [numquam vero alterius coloris] vestita habeatur. Et parva theca pro SS.mi Sacramenti expositione ad manum inibi sit, quam super corporali deponere erit satis. — Florum vasa aliaque ornamenta in ostiolo seu ipso tabernaculi aditu constituere, aut similibus aliisque rebus, altaria magis onerare quam ornare, non licet¹.

e) Saepius Tabernaculum Pastor inspiciat ut munditia servetur, et omne irreverentiae periculum arceatur. Decimo quinto circiter die, immo pluvio vel alio humido tempore, etiam saepius, SS. Particularum sumptio et, ante purificationem, novarum simul et recentium [abhinc non amplius quam viginti diebus confectarum] in sufficienti numero renovatio ac consecratio, in missa fiat². Hostiae vero veteres, purificato semper ciborio primo distribuantur vel sumantur³.

f) Calices aliaque sacra vasa, semel saltem quolibet mense [ut diximus] manibus sacerdotum propriis tum infra, tum extra laventur ac poliantur: si vero quaedam reparanda sint, sollicitè ad argentarium deferantur, et ne in re avaritiae quoquomodo inserviat, omnino oportet.

g) Ne, nostris praesertim temporibus, sacrilega temerariaque manus ad SS.mum extendantur, seris satis firmis et tutis clausum⁴, Tabernaculum sit, clave deaurata vel decenter ornata cum flocculo semper, et ex officio penes Parochum existente. Hac ratione, dum debitam SS.mo Sacramento Pastor praestabit vigilantiam, et suspensionem a tribus mensibus ab officio haud ipse incurretur. Hanc, enim, poenam in illos per quorum incuriam aliquid nefandum erga tantum Sacramentum contigerit, Conc. Lateranense IV⁵ statuit.

h) Tandem [ut diximus] lampas ante altare, in quo SS.mum asservatur Sacramentum continuo ardeat, et ut eius lumen numquam deficiat, ex olivarum oleo, vel saltem ex vegetabilibus oleis vel, ex quadam compositione ex oleo et cera⁶, non vero ex petroleo vel aliis substantiis⁷ perpetuo nutriatur. Haec omnia assiduae Parochorum vigilantiae graviter iniunguntur.

¹ S. R. C., 22 jan. 1701; 12 mart. 1836;

Instruct. Clement., § IV, n. 1. — Cfr. *Instruct. Pastor. Eystellens.* n. 44: decret. *Vicariat. Urbis*, 5 nov. 1896.

² Cfr. decret. S. R. C. 19 febr. 1908, quo pro purificanda pyxide in leproso- rum hospitibus, peculiaris ratio permittitur.

³ Cfr. Instruct. S. Offic. 30 aug. 1901.

⁴ S. C. C. 14 nov. 1693.

⁵ C. I, X, III, 44: Innocent. XIII, 8 jan. 1724, et S. C. Episcop., 9 febr. 1751.

⁶ S. R. C., *ad Episcop. Carcass.*, 8 nov. 1907. — Cfr. Ead. 27 nov. 1908.

⁷ S. R. C., 9 jul. 1864; 8 nov. 1907.